



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Qvæstio XXI. De oratione Christi in quatuor articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)



Einde considerandum est de oratione Christi.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, virum CHRISTO conueniat orare.

Secundo, virum conueniat sibi secundum suam sensualitatem.

Tertio, virum conueniat sibi orare pro se ipso, an tantum pro alijs.

Quarto, virum omnis eius oratio sit exaudita.

ARTICVLVS I.

Virum Christo competat orare.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Christo non competat orare. Nam sicut Damascenus * dicit, oratio est petitio decentium à Deo, sed cum Christus omnia facere posset, non videtur ei conuenire, quod aliquid ab aliquo peteret: ergo videtur, quod Christo non conueniat orare.

2. Preterea, Non oportet orando petere illud, quod aliquis scit pro certo esse futurum (sicut non oramus quod sol oriatur cras) neque est etiam conueniens quod aliquis orando petat, quod scit nullo modo esse futurum. Sed Christus sciebat circa omnia quid esset futurum. Ergo non conueniebat ei aliquid orando petere.

3. Preterea, Damascenus * dicit in lib. 3. quod oratio est ascensus intellectus in Deum. Sed intellectus Christi non indigebat ascensione in Deum: quia semper intellectus eius erat Deo coniunctus, non solum secundum unionem hypostasis, sed etiam secundum fructum beatitudinis. Ergo Christo non conueniebat orare.

Sed contra est, quod dicitur Luc 6. Factum est, in illis diebus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

Respondendo dicendum, quod (sicut dictum est * in Secunda parte) oratio est quadam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Si igitur in Christo esset una tantum voluntas, scilicet diuina, nullo modo competere sibi orare, quia voluntas diuina per se ipsam est effectiua eorum, quæ vult: secundum illud Psalm. 134. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit. Sed quia in Christo est alia voluntas diuina, & alia humana & voluntas humana non est per se ipsam effectiua ad implendum quæ vult, nisi per virtutem diuinam: inde est quod Christo, secundum quod est homo, & humanam voluntatem habens, competit orare.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus poterat perficere omnia quæ volebat, secundum quod Deus, non autem secundum quod homo: quia secundum quod homo, non habuit omnipotentiam, ut supra habitum est. * Nilominus tamen ipse idem Deus existens & homo, voluit ad Patrem orationem porrigere: non quasi ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem. Primo quidem, ut ostenderet se esse à Patre. Vnde ipse dicit Ioan. 11. Propter populum qui circumstat, dixi, scilicet verba orationis, ut credant, quia tu me misisti. Vnde Hilarius in 10. de Trinit. * dicit: Non prece eguit, pro nobis orauit, ne Filius ignoraretur. Secundo ut nobis exemplum orandi daret. Vnde Ambros. dicit super Lucam. * Noli insidiarices aperire aures, ut putes Filium Dei, quasi infirmum rogare, ut imitabilis ei petret, quod implere non possit, potestatis enim est auctor, est de obedientia magister, ad præcepta virtutis suo nos informat

Fr. Suarez. Tom. 1.

A exemplo. Vnde & August. * dicit super Ioan. Poterat Dominus in forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se, paulo à Patri exhibere voluit peccatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.

C Ad secundum dicendum, quod inter alia, quæ Christus sciuit futura, sciuit quadam esse scienda propter suam orationem, & huiusmodi non inconuenienter à Deo peti.

d Ad tertium dicendum, quod ascensio nihil est aliud, quam motus in id, quod est sursum: motus autem, ut habetur in 3. de Anima, * dupliciter dicitur. Vno modo proprie, secundum quod importat exitum de potentia in actum, prout est actus imperfecti: & sic ascendere competit ei, quod est potentia sursum, & non actu. Et hoc modo, ut Damasc. * dicit in 3. lib. intellectus humanus Christi non eget ascensione in Deum: cum sit semper Deo vnitus, & secundum esse personale, & secundum contemplationem beatam. Alio modo dicitur motus, qui est actus perfecti: id est, existentis in actu: sicut intelligere & sentire dicuntur quidam motus. Et hoc modo intellectus Christi semper ascendit in Deum, quia semper contemplatur ipsum, ut supra se existentem.

COMMENTARIVS.

Ex corpore articuli duæ colliguntur assertiones.

Prima est, si Christus tantum esset Deus, seu (quod idem est) si in eo tantum esset voluntas diuina, non fore capacem orationis. Quod est per se enidens, ut idem D. Thom. 2. 2. q. 83. ar. 10. latius docuit, quia oratio est actus inferioris deprecantis superiorem, ut se adiuuet vnde est actus indigentis ope alterius, cui cultum & reuerentiam exhibet, & ideo ad religionem pertinet: Deus autem, neque alterius ope indiget, neque alterum reuereri, aut religionem colere potest, cum omnipotens sit, & superiorem non habeat, & ideo orare non potest, neque enim ad se ipsum orationem dirigere valet, ut per se constat. Neque ad hoc refert, quod in Deo sit personarum distinctio, omnes enim æquales sunt & eadem omnipotentia, intellectu, & voluntate operantur, & ideo non potest una magis alteram orare, quam se ipsam.

Secunda assertio D. Tho. est, Christum Dominum ut hominem, quia humanam habet voluntatem, & intellectum, verè ac proprie orare posse, humana enim voluntas, etiam Christi, non est per se efficax, sed auxilio indiget diuino, quod orando implorare potest, & voluntatem suam apud Deum explicando in quo ratio orationis consistit, ut D. Thom. inquit, quod non est huius loci latius explicare: in quo enim actus orationis consistat, & cuius facultatis actus sit, non facile (ut existimo) explicari potest: id tamen agendum est in 2. q. 83. Nunc quod præsentis institutioni satis est, supponamus, actum mentalis orationis seu petitionis apud Deum (de hoc enim agimus) in-cludere, vel supponere aliquid ad intellectum, & aliquid ad voluntatem pertinentem, scilicet voluntatem, seu desiderium obtinendi aliquid à Deo, seu ope diuina: quæ voluntas supponit, Deum cognoscei ut autorem talis boni, à quo expectandum est, & petendum: deinde includit oratio ordinationem quædam huiusmodi voluntatis, seu desiderij ad Deum quia homo manifestat Deo suum affectum, cupiens & sperans obtinere, quod appetit: siue igitur hæc ordinationis, vel explicatio desiderij apud Deum ad intellectum, siue ad voluntatem pertineat: constat tamen Christi animam capacem fuisse omnium istorum actuum, cum creata sit, Deoque subiecta, & inferior.

Solutio ad primum non nihil difficultatis habet, argumentum enim erat, Christum non indigere oratione, cum omnia per se possit. Respondet autem primum D. Thom. Christum ut hominem non potuisse perficere omnia, quæ volebat sine oratione, quia ut homo non erat omnipotens: subdit vero

Mmm 2 de in-

Christus
enim oravit
vix.

deinde voluisse ad Patrem orationē porrigere, non quia ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem, & exemplum. Quæ duo non videntur inter se consentanea, quia si propterea fuit capax orationis, quia ut homo non omnia poterat, ergo reuera oravit, quia erat impotens. Et confirmatur, quia si tantum oravit propter instructionem, & exemplum, nec nunc oraret, neque in via orasset, nisi tantum publice. Respondetur mentem D. Thom. esse, cum Christus sit Deus, assumendo humanitatem, potuisse illi communicare, ut omnia quæ vellent, operaretur absque orationis vel petitionis indigentia: & hoc modo dicitur orasse, non quia sit impotens, nimirum ipsa persona Christi ad operandum hoc modo per humanitatem suam: de facto tamen noluit communicare hanc efficaciam suę humanitati, nisi per hoc medium orationis, & petitionis, & ideo recte etiam dicitur in quantum hominem non omnia posse sine oratione. Et hoc sensu etiam potest verè dici, Christum ut hominem interdum orasse, non solum propter instructionem, & exemplum, sed quia sine oratione reuera non posset perficere, quod volebat: quanquam hoc totū ad nostram instructionem, & exemplum ordinatum sit. Ad confirmationem respondetur, illas esse optimas rationes, sed non adæquatas, nam etiā voluit Deus Christum, ut hominem oratione indigere, ut servaretur debitus ordo inferioris nature ad superiorem, & ut debitus orationis cultum divinitati præberet.

c. Secundum argumentum duas partes habet: altera est, quo modo Christus petebat orando, quæ certo sciebat esse futura. Et hanc facile dissolvit D. Tho. dicendo, idē orasse, quia præsciebat per orationem suam fuisse futura. Altera pars erat, quo modo orando petebat interdum, quæ sciebat nullo modo esse futura. Et huic parti nihil respondet D. Tho. foras enim omisit in 4. art. explicandam. Responsio vero est, simpliciter non petiisse res huiusmodi, sed solum interdum sub conditione explicasse affectum suum propter instructionem nostram, vel exemplum, vel alias honestas causas.

d. In solutione ad tertium videtur sentire D. Tho. Christum orasse Deum per ipsam contemplationē beatam: & hoc modo applicat orationi Christi definitionem Damasc. scilicet orationem esse ascensum mentis in Deum. ut scilicet in Christo intelligatur, non de aliquo nono ascensu, sed de illo, quem perpetuo habet per contemplationem beatam. Et est hoc quidem verum, quia (sicut supra diximus) potuit anima Christi, supposita visione Dei, exercere circa creaturas in Deo visas actus charitatis proximorum, liberos & meritorios, & ita etiam potuit desiderare illis bona, atque adeo ea petere à Deo. Addi vero potest, per actus scientiæ infusæ, potuisse animā Christi habere novas ascensiones mentis in Deum, nunc per unum effectum, postea per alium, & hoc modo novas orationes fundere extra contemplationem beatam. Quæ omnia facile ex supra tractatis de scientia, & voluntate Christi constare possunt.

ARTICVLVS II.

Utrum Christo conveniat orare, secundum suam sensualitatem.

127.
In fra. art.
4. co. & ad
7. & 3. dist.
17. ar. 3. &
op. 3. 6.
340. &
opus 7.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem. Dicitur enim in Psal. 83. ex persona Christi. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Sed sensualitas dicitur appetitus carnis. Ergo sensualitas Christi potuit ascendere in Deum vivum, exultando, & pari modo orando.

2. Præterea, Eius videtur esse orare, cuius est desideria-

re illud quod petitur. Sed Christus petiit aliquid quod desideravit eius sensualitas, cum dixit, Transseat à me calix iste: sicut dicitur Matth. 26. Ergo sensualitas Christi oravit.

3. Præterea, Magis est uniri Deo in persona, quam ascendere in Deum per orationem. Sed sensualitas fuit assumpta à Deo in unitatem persone, sicut & qualibet pars humane nature. Ergo multo magis potuit ascendere in Deum orando.

Sed contra est, quod dicitur ad Philippens. 2. quod Filius Dei secundum naturam, quam assumpsit, in similitudinem hominum factus est. Sed alij homines non orant secundum sensualitatem. Ergo nec Christus oravit secundum sensualitatem.

a. Respondēdo dicendum, quod orare secundum sensualitatem potest intelligi dupliciter. Vno modo scilicet, quod ipsa oratio sit actus sensualitatis: & hoc modo Christus secundum sensualitatem non oravit: quia eius sensualitas eiusdem nature & speciei fuit in Christo & in nobis. In nobis autem non potest sensualitas orare, duplici ratione. Prima quidem, quia motus sensualitatis non potest sensui transscendere: & ideo non potest in Deum ascendere: quod requiritur ad orationem. Secundo, quia oratio importat quandam ordinationem: prout, scilicet, aliquis desiderat aliquid quasi à Deo implendum, & hoc est sollicitudo, unde oratio est actus rationis, ut in secunda parte habitum est. *

Alio modo potest dici aliquis orare secundum sensualitatem, quia, scilicet, eius ratio, orando, disponit quod est in appetitu sensualitatis ipsius, & secundum hoc Christus oravit secundum sensualitatem in quantum, scilicet, oratio eius exprimebat sensualitatis affectum tanquam sensualitatis advocata: & hoc, ut nos de tribus institueret. Primo quidem, ut ostenderet severam naturam humanam suscepisse cum omnibus naturalibus affectibus. Secundo, ut ostenderet, quod homini licet secundum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult. Tertiū ostendat quod proprium affectum debet homo divine voluntati subicere. Unde August. * in Enchir. dicit. Sed Christus hominem gerens, ostendit privatam quandam hominis voluntatem, cum dicit, Transseat à me calix iste. Hæc enim erat voluntas humana, proprium aliquid & tanquam privatum volens. Sed quia recto corde rectum vult esse hominem, & ad eum dirigere, subdit. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ac si dicat, videre in me, quia potestis aliquid proprium velle, est Deus aliud velit.

Ad primum ergo dicendum, quod caro exultat in Deum vivum, non per actum carnis ascendentem in Deum: sed per redundantiam à corde in carnem, in quantum appetitus sensibilis sequitur motum appetitus rationalis.

Ad secundum dicendum, quod licet sensualitas hoc volunt quod ratio petebat: hoc tamen orando petere non erat sensualitatis, sed rationis, ut dictum est. *

Ad tertium dicendum, quod unio in persona est secundum esse personale: quod pertinet ad quamlibet partem humane nature. Sed ascensio orationis est per actum, qui non convenit nisi rationi, ut dictum est. * Unde non est sensus, nisi ratio.

COMMENTARIVS.

Quæstio huius articuli & in se facilis est, & non est singularis de Christo Domino, sed communis omnibus hominibus, neque habet in Christo singulariorem aliquam rationem dubitandi, & ideo circa illā nihil adnotare oportet, pertinet enim ad 2. q. 83. art. 1. hic vero à D. Th. proposita ad explicandum, quomodo, & propter quas causas Christus interdum oraverit, proponendo, seu representando Patri suo sensualitatis affectum. Quod luculenter facit, & distincte docet, neque alia explanatione indiget.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrum fuerit conueniens Christum pro se orare

Ad tertium sic proceditur. Videtur: quod Christo non fuerit conueniens pro se orare. Dicit enim Hilarius * in 10. de Trinitat. Cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostrae fidei loquebatur. Sic ergo videtur, quod Christus non sibi, sed nobis orauerit.

2. Præterea, Nullus orat nisi pro eo quod vult: quia sicut dictum est *, oratio est quadam explicatio voluntatis per Deum implenda, sed Christus volebat pati ea, quae patiebatur: dicit enim Augustinus 26. contra Faustum, Homo plerumque irascitur, etsi nolit, contristatur, etsi nolit, dormit, etsi nolit, esurit, ac sitit. Ille autem scilicet Christus, omnia ista habuit, quia voluit. Ergo ei non competebat pro seipso orare.

3. Præterea, Cyprianus dicit in libro * de oratione Dominica: Pacis doctor & veritatis Magister noluit sigillatim & priuatim preces fieri, ut quis cum precatur, pro se tantum precetur. Sed Christus illud impleuit quod docuit, secundum illud Actuum primo, Cupit Iesus facere & docere. Ergo Christus nunquam pro se solo orauit.

Sed contra est, quod ipse Dominus orando dicit Ioan. 17. Clarifica filium tuum.

Respondetur dicendum, quod Christus pro se orauit dupliciter. Vno modo exprimendo affectum sensualitatis (ut supra dictum est) vel etiam voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura, sicut cum orauit à se calicem passionis transferri. Alio modo, exprimendo affectum voluntatis deliberate, quae consideratur ut ratio: sicut cum petijt gloriam resurrectionis. Et hoc rationabiliter. Sicut enim dictum est *, Christus ad hoc vti voluit oratione ad Patrem ut nobis daret exemplum orandi, & ut ostenderet, Patrem suum esse autorem, à quo & eternaliter processit secundum diuinam naturam, & secundum naturam humanam ab eo habet quicquid boni habet. Sicut autem in humana natura, quadam bona habebat à Patre iam percepta, ita etiam expectabat ab eo quadam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo sicut bonis iam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum autorem (ut patet Matth. 26. & Ioannis 11.) ita etiam, ut Patrem autorem recognosceret, ab eo orando petebat ea quae sibi deerant, secundum humanam naturam, puta gloriam corporis & alia huiusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, ut de perceptis à nobis muneribus gratias agamus, & etiam nondum habita orando postulemus.

Ad primum ergo dicendum quod Hilarius * loquitur quantum ad orationem vocalem, quae non erat ei necessaria propter ipsum, sed solum propter nos. Vnde signanter dicit, quod sibi non proficiebat deprecationis sermo. Si enim desiderium pauperum exaudiri Dominus (ut in Psal. 6. dicitur) multo magis sola voluntas Christi habet vim orationis apud Patrem. Vnde ipse dicebat Ioan. 11. Ego sciebam, quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.

Ad secundum dicendum, quod Christus volebat quidem pati illa, quae patiebatur, pro tempore illo: sed nihilominus volebat, ut post passionem, gloriam corporis consequeretur, quam nondum habebat. Quam quidem gloriam expectabat à Patre sicut ab autore, & ideo conuenienter ab ipso eam petebat.

Ad tertium dicendum, quod ipsa gloria, quam Christus orando petebat, pertinebat ad salutem aliorum, secundum illud Roman. 4. Resurrexit propter iustificacionem nostram. Et ideo illa etiam oratio, quam pro se faciebat, erat quodammodo pro alijs. Sicut & quicunque homo ali-

Fr. Suarez, Tom. I.

A quod bonum à Deo postulat, ut utatur, illo ad vtilitatem aliorum, non sibi soli, sed etiam alijs orat.

COMMENTARIVS.

Respondet D. Tho. Christum pro se orasse, interdum representando simplicem affectum, interdum efficaciter petendo quod omnino fieri volebat, ut cum Ioan. 17. orabat: Pater veni hora, clarifica filium tuum. Quae doctrina de fide certa est, expressè enim habetur in Euangelio, & rationes seu congruentiae illius optimae à D. Tho. afferuntur.

Solutiones argumentorum sunt notandae, praesertim primi & tertij nam in primo explicat dictum Hilarij lib. 10. de Trinit. circa finem dicentis, Christo non profuisse deprecationis sermonem, sed propter nostrum profectum interdum orasse. Quod dicit D. Thom. intelligendum esse de oratione vocali, quae non erat illi necessaria propter ipsum, sed propter nos. In quo satis indicat D. Thomas orationem mentalem fuisse Christo necessariam propter ipsum, ut super articulum primum etiam docuimus, fuit enim illi necessaria ad impetrandam, & merendam gloriam corporis, & impetrandam sui nominis claritatem, quia hoc medium erat à Deo praescriptum ad illum effectum consequendum: oratio autem vocalis per se non requiritur ad impetrationem, vel meritum, sed vel ad excitandam, & colligendam mentem, vel ad augendam satisfactio-

nem, ut D. Thom. docet, 2. 2. q. 83. ar. 12. Et ideo non fuit Christo propter se necessaria, sed propter nos. Et ad hunc modum explicat D. Tho. in eadem solutione verba Christi Ioan. 11. Pater, gratias ago tibi, quoniam auastisti me, &c. Quem locum statim fusius in disputatione tractabimus.

In solutione verò ad tertium explicat D. Thom. verba Cypr. in expositione orationis dominicae in principio totius expositionis post totum praebulum, ubi sic inquit, Ante omnia pacis doctor, atque veritatis magister sigillatim noluit, & priuatim precem fieri, ut qui, cum precatur, pro se tantum precetur, & infra, Publica est nobis, & communis oratio, & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus vnum sumus, &c. quae late prosequitur. Dicit autem D. Thom. Christum Dominum hanc legem orandi seruasse, etiam cum gloriam suam postulauit: quia eius gloria commune bonum est omnium nostrum & eandem dicit nos seruare, cum aliquid nobis priuatim petimus, ut eo in aliorum vtilitate utamur. Non est autem intelligendum, hanc legem seu conditionem simpliciter, & absolute esse de necessitate orationis, ut recta sit, & honesta, potest enim aliquis interdum sibi, & alteri in particulari vitam, vel gratiam postulare, nihil pro alijs petendo, nec de eorum vtilitate cogitando: quia neque charitas, neque aliqua virtus obligat ad desiderandum, vel petendum bonum aliorum, quandoque nostrum bonum appetimus, vel postulamus: non est igitur hoc de ratione honestae, & rectae orationis, loquendo in particulari de singulis orandi actibus. Absolutè tamen, & vniuersè loquendo ad munus orandi pertinet, ut non solum pro nobis, sed etiam pro alijs oremus, quod Cyprianus in dictis verbis intendit: vnde, ceteris paribus, tanto erit perfectior oratio, quanto non solum ipsi oranti, sed etiam alijs utilis fuerit. Et propterea merito D. Thomas explicare voluit, quo modo hac perfectio etiam in illa oratione, qua Christus pro se orauit, non defuerit.

* *

M m m 3 ARTI

ARTICVLVS III.

Vtrum oratio Christi semper fuerit exaudita.

199.
8 d. 17 ar. 3.
9 3 & 4
opus 3 cap
140. &
0147-7 &
Psal 20 co
4 & Ioan.
12. l. 4. col.
2 & Heb 5.
col 5.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod oratio Christi non semper fuerit exaudita. Petijt enim à seremoni calicem passionis vt patet Matthæi 26. Qui tamen ab eo non fuerit translatus. Ergo videtur, quod non omnis oratio eius fuerit exaudita.

2. Præterea, ipse orauit, vt peccatum crucifixoribus suum ignoscatur: vt patet Luca 22. Non tamen omnibus peccatum illud fuit dimissum: nam Iudei fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo videtur, quod non omnis eius oratio sit exaudita.

3. Præterea, Dominus orauit pro his qui erant credituri per verbum Apostolorum in ipsum, vt omnes in eo vnam essent, & vt peruenirent ad hoc, quod essent cum ipso. Sed non omnes ad hoc perueniunt. Ergo non omnis eius oratio est exaudita.

4. Præterea, In Psalm. 21. dicitur in persona Christi, Clamabo per diem, & non exaudies. Non ergo omnis oratio Christi fuit exaudita.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Hebr. 5. Cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

Art præ-
ced. q. 2.
& a. 1. huius
quæst.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est*) oratio est quodammodo interpretatiua voluntatis humane. Tunc ergo alicuius oratio exauditur oratio, quando eius voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas: hoc enim absolute volumus, quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, que consideratur vt natura, non simpliciter volumus, sed secundum quid, scilicet si aliud non obstat, quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas magis est dicenda velleitas, quam absoluta voluntas, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsteret. Secundum autem voluntatem rationis, Christus nihil aliud voluit, nisi quod scilicet Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita. Nam & secundum hoc aliorum orationes implentur, quod sunt eorum voluntates Deo conformes: secundum illud Roman. 8. Qui autem scrutatur corda, scit, id est, approbat quid desideret spiritus, id est, quid faciat Sanctus desiderare: quoniam secundum Deum, id est, secundum conformitatem diuine voluntatis, postulat pro Sanctis.

Can 21. in
Matth. pau-
lo à medio.

Ad primum ergo dicendum, quod illa petitio de translatione calicis, diuersimode à Sanctis exponitur. Hilarius enim super Mattheum dicit. * Qui autem vt à se transeat, rogat, non vt ipse præteatur, orat, sed vt in alterum id, quod à se transit, accedat: atque ideo pro his orat, qui passuri post se erant: vt sit sensus. Quomodo à me biberetur calix iste passionis: ita ab his bibatur sine spei dissidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Vel secundum Hieronymum. * signanter dicit, Calix iste, hoc est, populi Iudeorum: qui excusationem ignorantia habere non potest, si me occiderit habens leges & Prophetas, qui me vaticinantur. Vel secundum Dionys. Alexandrinum. Quod dicit, Transfere calicem istum à me, non hoc est, non adueniat mihi: nisi enim adueniret, transferri non poterit. Sed sicut quod præterit, nec intratum est nec permanens, sic Saluator leuiter inuadentem tentationem flagitat pelli. Ambrosius *

Ambros. lib.
10. in Luc.
homil. 15.
Origen. ho.
35. in Mat.
in 6 sol. à
prin. illius

autem dicit & Origenes & Chrysostom. quod hoc petijt quasi homo, naturali voluntate mortem recusans. Sic ergo si intelligatur quod petierit per hoc alios Martyres sua passionis imitatores fieri, secundum Hilari. * vel si petijt quod timor bibendi calicem eum non perturbaret, vel quod

Mors eum non detineret: omnino impletum est quod petijt. Si vero intelligitur petijt, quod non biberet calicem mortis & passionis, vel quod non biberet ipsum à Iudeis, non quidem est factum quod petijt: quia ratio qua petitionem pr. posuit, nolbat vt hoc impleteretur: sed ad intentionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem & motum sensualitatis, quem suum homo habebat.

Ad secundum dicendum, quod Dominus non orauit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum: sed pro his solum, qui erant prædestinati, vt per ipsum vitam consequerentur eternam.

Vnde patet etiam Responso ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod cum dicit, Clamabo, & non exaudias, intelligendum est quantum ad affectum sensualitatis, qua mortem refugiebat: exauditur tamen quantum ad effectum rationis, vt dictum est *

COMMENTARIVS.

Questio huius articuli coincidet cum questione suprà tractata de voluntate Christi, an semper fuerit impleta, diximus autem absolutam voluntatem semper impleam esse, non tamē simplicem affectum, seu velleitatem: cum ergo oratio sit explicatio voluntatis, constat illam orationem, quæ ex voluntate absoluta proficiscitur, semper esse exauditam, non vero, quæ ex sola conditionata voluntate, & secundum quid, vt bene D. Tho. respondet & declarat. Omnia vero, quæ in solutionibus argumentorum attingit, in superioribus etiam tractata sunt, nam in solutione ad primum tractat locum Matth. 26. Pater, si possibile est, &c. Cum quo coincidit illud, Psal. 21. Clamabo per diem, & non exaudies, quod tangit in solutione ad quartum, quæ suprà tractauimus, partim disputatione 24. sect. 3. partim disput. 38. sect. 2. & sequentibus. In solutione vero ad secundum & tertium, declarat D. Tho. quomodo Christus aliter pro prædestinatis, quam pro reprobis orauerit, de qua re egimus disp. 41. sect. 2.

DISPUTATIO XLV.

In duas sectiones distributa.

De oratione Christi in via, & in patria.



Npcedentibus disputationibus, circa quæstionem 26. D. Thom. explicauimus quomodo virtus obedientie vere, ac propriè in Christo Domino locum habuerit, quatenus vt homo Deo subiectus est: nunc conuenienter explicandum sequitur, quomodo etiam fuerit capax virtutis religionis ad Deum, cum enim dixerimus, illum vt hominem esse non solum subiectum, sed etiam seruum, & ad officium serui pertineat, cultum & reuerentiam exhibere domino, consequens necessario fit, Christum vt hominem perfectissimè obseruasse hoc officium erga Deum, atq; adeo cultum Deo debitum, scilicet lachryæ, & religionis illi exhibuisse: vnde Matth. 4. & Luc. 4. tam de alijs, quam de se ipso generalem reuerentiam protulit dicens, Dominum meum adorabo, & illi soli seruiens, & Ioan. 4. Vos adoratis quod nescitis, ego autem adorans quod scimus. Itaque dubium non est, quin virtus religionis verè ac propriè in Christum conueniat. Cum verò hæc virtus plures habeat actus, duo tamen sunt præcipui, ad quos ceteri reuocantur, scilicet oratio, & sacrificium, & ideo de his duobus specialiter disputatur à D. Thom. in hac, & sequenti quæstione, quia ceteri speciale difficultatem non habent. Quia licet de voto quæri possit, an aliquod votum emiserit, & de iuramento, an aliquando verè iurauerit, tamen primum horum in Evangelio fundamentum non habet. De secundo vero disputari solet in materia de iuramento, & quid de

vitro.

utroque aliqui d' infrā dicemus in secundo tomo. De oratione igitur Christi duo breuiter explicanda sunt, aliud ad statum viatoris, aliud ad statum comprehensoris pertinens.

SECTIO I.

An Christus in statu viæ verè, ac propriè orauerit.

Oratio generaliori quadam significatione significat omnem actum interiore, qua anima in Deum eleuatur per contemplationem, vel meditationem, deuotionem, aut similes actus, & si hoc modo sumatur oratio, non est quod disputetur, an in Christo fuerit, cuius anima perfectissima contemplatione in Deum ferebatur, non solum per beatam fruitionem, sed per scientiam etiam infusam, & liberum charitatis actum, ut in superioribus satis tractatum est. Alio ergo modo magis proprio sumitur oratio, ut significat petitionem, seu postulationem, aut supplicationem, que includit obsecrationem, & gratiarum actionem, & alios actus similes, ut D. Thom. exponit 2. 2. quæst. 83. artic. 7. & de hoc etiam genere orationis certissimum est, Christum Domini in via existentem sepius illam exercuisse. Quod enim gratias egerit Patri seu Deo, frequenter in Evangelio legimus, Luc. 22. *Accepto calice & pane, gratias egit.* Ioan. 11. *Pater gratias ago tibi, quia audisti me.* & Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine celi & terre.* Ioan. verò 12. petit Christus, *Pater, clarifica nomen tuum.* & cap. 17. longam habuit orationem similem, & postea in horto, ac tandem in Cruce. Ac denique Paul. ad Hebr. 5. *In diebus, inquit, carnis sue preces supplicationesque adueni, qui posuit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ omnia, sicut propriè dictum genus orationis significant, ita propriè intelligenda sunt: sicut ab vniuersa Ecclesia, & omnibus Patribus, & Theologis intelliguntur, & ipsa Scripturæ sinceritas & historiarum veritas postulant. Quomodo autem Christus ut homo capax fuerit huius orationis satis, explicando articulos D. Thom. declaratum est. Cur autem decens fuerit ipsum orare, satis ex honestate ipsius met actus orationis perspicui potest: continet enim decentissimum Dei cultum, & idè per se conueniens fuit, ut Christus ut homo illum Patri exhiberet & mente, & corpore. Deinde fuit hoc expediens, ut Christus omnibus modis operaretur nostrā salutem, merendo, satisfaciendo, & impetrando. Et ut nobis daret exemplum eisdem modis illam per orationem procurandi, ut latè tractat Hilarius lib. 10. de Trinit. à medio, & Ambros. lib. 5. in Luc. cap. de oratione Iesu in monte & Damascen. lib. 3. cap. 24. August. epist. 121. cap. 14. Vbi dicit voluisse Christum interdum ita orare ut non exaudiretur, ut nobis esset exemplum patientiæ, quando non sit quod petimus.

Solum illud potest hic breuiter dubitari, an reuerentia Christus in oratione aliquid petierit, quia illud medium erat sibi necessarium ut id fieret, vel solum propter exercitium virtutis, & exemplum nostrū. Et ratio dubitandi sumi potest ex facto Christi Ioan. 11. vbi, cum Martha illi dixisset, Scio, quia quacunque poposceris à Deo, dabis tibi Deus, respondit ipse Dominus, Resurget frater tuus, quasi diceret, sua potestate se id facturum & non indigere oratione, seu petitione, cum ipse sit Deus. Vbi Chrysost. homil. 61. notat, Martham non altius sensit de Christo, quā de puro homine, cum ipsum non nisi media petitione, & oratione posse resuscitare mortuum existimaret, unde Christus inferius, cum gratias Patri egisset, subdit, Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstant, dixi, ut credant, quia su me misisti, vbi indicat solum propter exemplum

A gratias egisti. Vbi, quod ipsum exaudisset. Vnde Chrysostom. ibi homil. 63. & Euthym. ibi, & Chrysost. Ambros. lib. 4. de fide capit. 3. ita exponunt illa verba, quæ Christus subiunxit, Ego autem sciebam, quia semper me audis, ut illa ad diuinitatem Christi referant. Vnde ita exponunt, Gratias tibi ago, non quia indigeam precibus coram te, scio enim vnā voluntatem me tecum habere, ideoque semper vel le, quod ego volo, sed propter populum, qui circumstant, &c. Et Theophyl. aduertit, Christum, ante quā orasset, vel aliquid petisset, dixisse, Gratias tibi ago, quia audisti me, quia enim non opus habebat oratione, non fuit oratio exaudita, sed voluntas impleta, & hoc fuit Christo exaudiri iuxta phrasim Scripturæ, secundum illud Psalm. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* & Job. 31. *Desiderium meum audiuit omnipotens.* Et confirmatur ex Damasc. lib. 4. de fide, cap. 19. circa medium, vbi inquit, quædam dici de Christo homine simulationis modo, *Vi cum precatur, inquit: & subdit. His enim, & similibus, neque ut Deus, neque ut homo opus habebat, verum ratione humanitati congruente ad id se confirmabat, quod vsus, atque vtilitas poscebat, verbi gratia, ob eam causam precabatur, ut se ipsum quendam, Deiq. aduersarium minime esse demonstraret, atque ut Patrem, à quo originem ducebat, honore afficeret.*

Dicendum tamen est (sicut in articulo primo circa solutionem ad primum adnotauimus) primum, Christum verè ac propriè orasse postulando, & simpliciter petendo aliquid à Patre, ut ex Evangelio constat. Ex quo fit consequens, sepe ex diuina providentia & ordinatione ita fuisse res dispositas, & prædefinitas, ut multa fuerint à Christo homine per orationem impetranda, quæ sine illius oratione non fierent. Sicut enim non redemisset homines, nisi pro illis pateretur, quia ita fuerat à Deo præscriptum, & præordinatum, ita neque sine oratione obtinuerit, quæ non nisi per orationem obtinenda erant, iuxta diuinam præordinationem. Vnde sicut necessarium fuit illi pati, ut ita intraret in gloriam suam, & nos secum in illam introduceret: ita necessarium fuit illi orare ad impetrandum multa, quæ per orationem obtinuit: iuxta illud Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam:* at verò sicut necessitas passionis ad redemptionem nostram non fuit ex defectu personæ, aut quia Christus non esset sufficiens in finitibus aliis modis, vel operibus illam perficere, sed quia propter congruentes rationes Deus illam ordinavit ut necessarium medium ad illum finem: ita hæc necessitas orationis non fuit ex indigentia ipsius personæ, aut quia per se non sufficeret ad efficiendum per humanitatem absque petitione, quidquid petendo obtinuit, vel effectus, sed quia propter rationes congruentes, & ad diuinum honorem, nostramque vtilitatem pertinentes, ita à Deo fuit ordinatum, & dispositum. Itaque vno verbo dici potest, Christum simpliciter non indignasse oratione, quia propter dignitatem personæ potuisset, quidquid veller sine oratione perficere, & de facto habuit etiam in humanitate sua potestatem faciendi miracula, imperando & volendo sine necessitate orationis. Nihilominus tamen in sensu composito, id est, supposita diuina ordinatione, multa non potuit in quantum homo sine oratione perficere, ut D. Thom. docuit, quod non negant citati Patres, sed priorem huius doctrinæ partem docere voluerant. & hic est sensus Chrysost. Ambros. Theophyl. & Euthy. Qui faciliè etiam potest ad locum Ioannis accommodari, quanquam quod Christus dixit, *Ego autem sciebam, quoniam semper me audis, satis commode, & fortasse magis ad literā, de Christo ut homine intelligi potest, cuius oratio absoluta & efficax semper exaudita est, ut ibi D. Thom. rectè exponit. Quod verò sequitur, sed propter populum, qui circumstant, dixi, &c. optimè intelligi potest (sicut*

Toletus super cap. 16. Ioan. annot. 35. non solum hanc sententiam sequitur, sed contrariam dicit esse improbabilem. Et probatur primò ex omnibus Scripturarum testimoniis supra citatis, quæ hoc sensu proprius exponuntur, & intelliguntur. Deinde Ioann. 14. dicit ipse Christus, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, nam licet Rupert. contendat, Christum loqui de statu viæ, tamen, si planus contextus consideretur, reuera loquitur de statu post suam Resurrectionem, & Ascensionem: consolat enim discipulos, & exhortatur, ut bono animo ferant discessum suum, quia apud Patrem existens rogaturus erat Patrem, ut alium Paracletum ad eos mitteret, & ex illius verbis Christi, Ioan. 16. *In illa die non dico vobis quod rogabo Patrem*, B idem colligi potest, quia vt indicauit Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 9. ita exponi potest. *In illa die, non solum exaudiemini in nomine meo petentes, quia ego rogabo Patrem, sed etiam, quia ipse Pater amat vos.* Vel, vt exposuit Hilarius lib. 6. de Trinit. quia Christus non dixit se non rogaturum, sed dixit, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem*, subindicans, se quidem rogaturum, tamen vt intelligant quantum à Patre discipuli sui amantur, se nolle suam intercessionem commemorare, sed eximiam Patris erga nos charitatem.

Secundò probatur ex Patribus, Cyprianus epistol. 8. alias lib. 4. epist. 4. inter alia, *Habemus, inquit, aduocatum, & deprecatorem Iesum Dominum Deum nostrum.* August. præfatio. in Psalm. 85. *Oratur, inquit, in forma Dei, orat in forma serui, orat pro nobis, orat in nobis, & oratur a nobis, vt sacerdos noster orat pro nobis, orat in nobis vt caput nostrum, oratur a nobis vt Deus, oramus ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum.* Et in fine eiusdem præfationis dixit, Christum & alios martyres interpellare pro nobis, quam interpellationem dicit esse misericordix opus, & tunc cessaturam, cum cessauerit miseria nostra: certum est autem ex eodem August. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 16. martyres, & sanctos orare propriè pro nobis. Idem August. præfatio. ad enarrationem 2. in Psalm. 29. expressè dicit, Christum etiam post Resurrectionem per humanitatem suam pro nobis orare. Præterea, Ambros. super ad Roman. 8. dicit, *Christum semper agere causas nostras apud Patrem, cuius postulatō contemni non potest, quia in dextera Dei est, & infra dicit ita nunc interpellare pro nobis, sicut rogauit pro Petro, ne deficeret fides eius.* Et lib. de Isaac, & anima, cap. 8. post medium, *ipse, inquit, sit vox nostra, per quam loquamur ad Patrem.* Bernard. etiam in sermone de Natiuit. Virg. *Exaudiet, inquit, Matrem suam, & filium Patrem.* Præterea, Iustin. Mart. q. 105. ad orthodoxos, *Si superatis, inquit, Resurrectionis infirmitatibus carnis, vt Pontifex confessionis nostra Deum pro nobis interpellat, nonne magis, cum adhuc subiaceret infirmitati carnis, &c.* In quibus verbis rationem non contemnendam indicat, nam Christus est æternus Pontifex, & ideo, quoad nos indigemus, semper pro nobis munus Pontificis exercet, modo statui suo accommodato: pertinet autem ad Pontificem pro suis subditis orare, vt ex Paulo ad Hebr. 5. docuit D. Thom. q. sequenti, art. 4. ad primum. Multa enim in hanc sententiam congerit Origen. homil. 7. super Leuit. qui interdum per exaggerationem loquitur. Vltimò probatur rationibus. Prima, quia oratio non deditur Christum eo, quod Deus est, nam est etiam hominibus, aliis neq. in hac vnaquam orasset: nec quia Beatus est, aliis neque alij Beati orarent, quod nunc omnino falsum esse suppono, oratio ergo nullam includit imperfectionem repugnantem aut diuinitati, aut beatitudini Christi: ergo non est, cur non oret. Secundò, nam oratio est cultus religionis Deo debitus, Christus autem in cælo Deum religione colit, adorat, laudat, & gratias agit, cur ergo non et-

A iam postulet? Tertiò, quia in omni statu operatur pro salute hominum quicquid commodè potest, potest autē in statu patriæ orare & impetrare, quia hæc non repugnat cum illo statu. Quartò denique nos habemus accessum ad Patrem per Christum, vt ad Hebr. 4. dicitur, non tantum quia in nomine ipsius petimus, sed etiam (vt supra indicauit Ambros.) quia per ipsum nostras orationes offerimus, & ipse, vt exaudiantur, obtinet.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Primum *Respons. ad* ad Patres, Rupert. quidem videtur fuisse illius sententiæ, quam non probamus. Vel exponi fortassis posset, distinguendo duplicem orationem iuxta doctrinam supra datam disput. 39. sect. 3. alteram, quæ aliquis denno impetrat, vel petit denno merendo id, quod petit: alteram, quæ petit exigendo ius sibi debitum. Christus ergo in via orauit priori modo, posteriori autem in patria: fortassis ergo Rupert. solum negare voluit priorem modum orandi, qui statui beatitudinis consentaneus non est. Et ad eundem modum exponi possunt Chrysost. Theophyl. Beda, & alij citati, qui explicarunt hanc orationem Christi per representationem sue carnis, & humanitatis, non quia intelligenda sit (vt ita dicam, per solam obiectiuam præsentiam sine villo actu, nam ille modus valde imperfectus est: sed quia Christus per proprium actum representat Patri carnem suam, & cicatrices suorum vulnerum, & (vt D. Thom. dixit) *allegat sua merita*, vt propter ea hominibus beneficiat. Et fortasse Nazianz. hoc sensu negauit, Christum nunc fundere seruilem, & supplicem orationem: quamuis etiam indicet, Christum non ita nunc orare, vt habitu, & figura corporis, & quasi per externa signa, se supplicem, & subiectum ostendat. Quod in via faciebat descendendo genua, Luc. 22. procidendo super terram, Marc. 14. hic enim modus veluti seruilis orationis, non est consentaneus statui patriæ: non est tamen incredibile, ibi non solum menre, sed etiam corpore Christum orare, quia & voce Deum laudat, & cultum religionis illi præbet.

Ad primam confirmationem, in qua petitur, an possimus Christum orare, vt pro nobis oret, Diuus Thom. in 4. loco supra citato simpliciter docet, non esse dicendum, *Christe, ora pro nobis*, sed, *Audinos, vel miserere nostri*, tum ad vitandum errorem Arii, & Nestorij, tum quia oratio simpliciter dirigitur ad personam, quæ est diuinum suppositum, cuius non est petere, sed donare: tum præterea addi potest quia in orationibus, Ecclesiæ consuetudo seruanda est: tum etiam, quia quando aliquam personam alloquimur, & præsertim si aliquid ab illa postulamus, illam alloquimur, modo, aut titulo magis honorifico, & ideo Christum simpliciter adoramus latrā & non hyperdulia: & hoc absolutè verum est, præcipuè in oratione publica. Si quis autē sciat rationes distinguere, & considerare Christum vt hominem in cælo orantem, & pro nobis sua merita Patri representantem, non erit illicitum, neque indecorum ab illo postulare, vt suæ orationis nos participes efficiat, & efficacem suorum meritorum applicationem nobis obtineat. Item, vt orationem nostram suæ coniungat, & Patri offerat, vt Ambros. & August. clare docuerunt.

Ad vltimam confirmationem iam explicatam est, propter quas causas Christus oret, vt enim D. Thom. docet in hac questione, & supra quæst. 14. art. 4. ad tertium, licet Christus vt homo suo modo omnia possit, tamen dependenter à Deo, atque ad eò seruatō ordine, & modo diuinæ dispositionis: ille autem est, vt petendo, & honorando Deum, & merita sua nobis applicet, & virtutem suam exequatur.

* *

QVAE